An. et vol. XXXVI 20 Maii 1944 (Ser. II, v. XI) - Num. 5

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

**SUMMARIUM**

**Acta Pii Pp. XII:** Litterae Encyclicae, p. 129 - Litterae Apostolicae, p. 144 - Epistula, p. 145.

**Acta SS. Congregationum:** *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 148 - *S. C. Rituum*: I, II. Decreta in causis beatificationis Servorum Dei, p. 149. III. Decretum, p. 154.

**Acta Tribunalium:** *S. Paenitentiaria Apostolica*: Instructio, p. 155 - *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 157.

**Diarium Romanae Curiae:** S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine - Necrologio, pp. 158-160.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIV

**Directio:**
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
**Administratio:**
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

**Pretium annuae subnotationis:**
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
**Pretium unius fasciculi:**
In Italia, Lib. 6 — extra Italiam, *L. it.* 6,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

# INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVI, n. 5 - 20 Maii 1944)

## ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE


PAG.

*Orientalis Ecclesiae.* - Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino, saeculo exeunte quinto decimo a piissimo eius obitu. - *9 Aprilis 1944* . 129


LITTERAE APOSTOLICAE


*Archipresbyteralis ecclesiae.* - Loci « Susegana » nuncupati, intra fines Victoriensis Venetorum Dioecesis, B. V. Maria titulo « Auxilium Christianorum » Patrona primaria, et Sanctus Sebastianus, Martyr, ac Sanctus Antonius Patavinus, Confessor, Patroni secundarii proclamantur. - *11 Octobris 1944* . . . . . 144


EPISTULA


*Quocumque oculos.* - Ad Emum P. D. Aloysium S. R. E. Presb. Card. Maglione, a publicis Ecclesiae negotiis: Supplicationes iterum indicuntur ad populorum pacem conciliandam. - *24 Aprilis 1944* . . . . . 145


## ACTA SS. CONGREGATIONUM

### SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS


Provisio Ecclesiarum . . . . . 148


### SACRA CONGREGATIO RITUUM


PAG.

I. *Cameracen.* - Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Ludovicae Nicolle e Tertio Ordine S. Dominici, Fundatricis Congregationis Humilium Filiarum S. Cordis. - *28 Ianuarii 1944* . . . . . 149

II. *Neapolitana.* - Decretum de virtutibus in causa beatificationis Ven. Servi Dei Placidi Baccher, Sacerdotis saecularis e Tertio Ordini S. Dominici. - *27 Februarii 1944* . . . . . 152

III. *Urbis et Orbis.* - Decretum de vino in purificatione et ablutione calicis in Missa. - *12 Maii 1944* . . . . . 154


## ACTA TRIBUNALIUM

### SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA


Instructio. Circa sacramentalem absolutionem generali modo pluribus impertiendam. - *25 Martii 1944* . . . . 155


### SACRA ROMANA ROTA


Citatio edictalis: Vilnen. - Nullitatis matrimonii (Niencow - Rader). - *3 Maii 1944* . . . . . 157


## DIARIUM ROMANAE CURIAE


I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 158

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 159

III. Necrologio . . . . . 159

An. et vol. XXXVI 20 Maii 1944 (Ser. II, v. XI) – Num. 5

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

## ACTA PII PP. XII

### LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE S. CYRILLO PATRIARCHA ALEXANDRINO, SAECULO EXEUNTE QUINTO DECIMO A PIISSIMO EIUS OBITU.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Orientalis Ecclesiae decus ac Deiparae Virginis vindicem praeclarissimum, S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum summis semper laudibus extulit Ecclesia; quas laudes in praesens Nobis libet presse scribendo recolere, dum quintum ac decimum exit saeculum, postquam ille terrestre hoc exsilium caelesti patria feliciter mutavit. Eum enim iam Decessor Noster S. Caelestinus I « bonum fidei catholicae defensorem »,[1] « probatissimum sacerdotem »,[2] ac « virum apostolicum »[3] appellat; oecumenica vero Synodus Chalcedonensis non modo eius doctrinam ad novos dispiciendos refellendosque errores

[1] Ep. 12, 4: Migne, *P. L.*, L, 467.
[2] Ep. 13, 2: ib., 471.
[3] Ep. 25, 7: ib., 552.

in auxilium advocat, sed eam etiam cum S. Leonis Magni [4] sapientia comparare non dubitat; qui quidem et ipsemet tanti Doctoris scripta idcirco dilaudat atque commendat, quod cum SS. Patrum fide omnino cohaereant.[5] Nec minore veneratione S. Cyrilli auctoritatem quinta oecumenica Synodus, Constantinopoli congregata,[6] prosecuta est; ac multis post annis, cum controversia haberetur de duabus in Christo voluntatibus, iterum eius sententia tam in prima Synodo Lateranensi,[7] quam in sexto oecumenico Concilio, a Monothelitarum erroribus, quibus nonnulli eam infectam esse falso criminabantur, merito feliciterque vindicata est. Teste siquidem sanctissimo Decessore Nostro Agathone, ipse « defensor fuit veritatis » [8] et « constantissimus orthodoxae fidei praedicator » [9] exstitit.

Valde igitur opportunum ducimus integerrimam eius vitam, fidem, virtutemque, breviter scribendo, ante omnium oculos ponere, in primisque eorum, qui, cum ex Orientali Ecclesia sint, hoc christianae sapientiae lumine et apostolicae fortitudinis athleta iure meritoque gloriantur. Honesto loco natus, atque anno CCCCXII, ut memoriae traditur, ad Alexandrinam sedem evectus, contra Novatianos primum aliosque germanae fidei corruptores osoresque, tum eloquio, tum scriptis decretisque editis, vigilaci impavidoque animo decertavit. Postea vero, cum impia Nestorii haeresis per orientales regiones serperet, pervigil ut erat Pastor, novos grassantes errores protenus detexit, a commisso sibi grege omni studio prohibuit, fuitque per eam tempestatem, ac potissimum in Ephesina Synodo celebranda, divinae maternitatis Mariae Virginis, hypostaticae unitatis in Christo, ac Romani Pontificis Primatus adsertor invictus ac doctor sapientissimus. At quandoquidem proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI, cum oecumenici huius Con-

[4] Cf. MANSI, VI, 953, 956-7; VII, 9.
[5] Cf. *Ep. ad Imp. Theodosium*: MIGNE, *P. L.*, LIV, 891.
[6] Cf. MANSI, IX, 231 sq.
[7] Cf. MANSI, X, 1076 sq.
[8] Cf. MANSI, XI, 270 sq.
[9] Cf. ib., 262 sq.

cilii memoria quindeciens saecularis anno MDCCCCXXXI celebraretur, Encyclicis datis Litteris *Lux veritatis*,[10] praecipuas S. Cyrilli partes in gravissima hac causa agenda praeclare descripsit illustravitque, id iterum singillatim recensere supervacaneum putamus.

Haud satis autem Cyrillo fuit strenue adversus erumpentes haereses dimicare, catholicae doctrinae integritatem acriter diligenterque tueri, eamque omni studio in meridiana sua luce ponere, sed pro viribus etiam atque etiam contendit, ut aberrantes fratres ad rectum iter veritatemque revocaret. Cum enim Antiochenae provinciae Episcopi sacrae Ephesinae Synodi auctoritatem nondum agnoscerent, alacer ipse auctor fuit, ut iidem post diuturnas periclitationes ad plenam concordiam tandem aliquando se reciperent. Ac postquam felicissimam eiusmodi pacem conciliare, Deo aspirante, potuit, eamque adversus simulatores defendere seduloque tutare, sempiternae mercedi gloriaeque maturus, anno CCCCXXXXIV, deflentibus bonis omnibus ad superos evolavit.

Eum orientalis ritus christifideles non modo in « Patrum Oecumenicorum » numero collocant, sed in suis etiam liturgicis precibus praeconiis amplissimis venerantur. « Flammis Sancti Spiritus mente illustratus — ita Graeci in Menaeis die IX mensis Iunii habendis canunt — sol irradians velut radios oracula edidisti; tua dogmata in omnes orbis fideliumque fines emisisti, coetus omnes illuminans, o beatissime ac divine, tenebrasque haereseon persequens, vi viribusque illius, qui e Virgine natus eluxit ». Ac iure quidem meritoque sanctissimo hoc Patre Orientalis Ecclesiae filii veluti domestica insignique gloria laetantur. In eo enim tres illae peculiarissimo modo elucent animi dotes, quae ceteros quoque Orientis Patres tantopere illustrarunt: eximia nempe vitae sanctitas, in qua incensa nominatim renidet erga summam Dei Parentem pietas; doctrina prorsus mirabilis, ob quam eum Supremum Consilium

[10] *A. A. S.*, XXIII (1931), p. 493 sq.

sacris ritibus praepositum, per decretum die XXVIII mensis Iulii, anno MDCCCLXXXII datum, universalis Ecclesiae Doctorem renuntiavit; actuosa denique studiosaque cura, qua haereticorum impetus invicto pectore retudit, catholicam fidem adseruit, defendit, atque impense, usque quaque potuit, propagavit.

At si valde gratulamur christianos omnes ex orientalibus regionibus populos S. Cyrillum impensa veneratione prosequi-haud minus tamen dolemus in eam non omnes convenisse optatissimam unitatem, quam ipse tam vehementer adamavit atque provexit; idque praesertim nostris hisce temporibus contingere lamentamur, quibus omnes christifideles, collatis mentibus ac viribus, in unam Iesu Christi Ecclesiam congregari necesse est, ut contra invalescentes cotidie magis impietatis conatus communis acies conferta, concors, immota repugnet.

Quae quidem ut effecta dentur, prorsus necessarium est ut omnes, S. Cyrilli vestigia prementes, eam assequantur animorum concordiam, quae triplici ea ratione vinciatur oportet, qua Christus Iesus, Ecclesiae conditor, veluti superno infragilique vinculo, ab se constituto, illam adstringi continerique voluit; una nempe catholica fide, una erga Deum, erga omnes caritate, una denique obedientia obtemperationeque legitimae hierarchiae, a divino ipso Redemptore datae. Tria eiusmodi vincula, quod probe nostis, Venerabiles Fratres, ita sunt necessaria, ut si quodlibet ex eis desit, vera in Ecclesia Christi unitas atque concordia ne intellegi quidem possit.

## I

Iamvero Alexandrinus Patriarcha in hac veri nominis concordia studiose adipiscenda retinendaque fortiter, quemadmodum iam fuit per procellosam aetatem suam, ita in praesenti sit tempore optamus magister omnibus atque exemplum praeclarissimum. Ac principio, ut de christianae fidei unitate agamus, nemo est, qui inconcussam eius alacritatem ignoret ad

eamdem mordicus tutandam: « Nos — ita ille asseverat —, quibus amica est veritas, ac veritatis dogmata, nequaquam illos (haereticos) sequemur, sed Sanctorum Patrum fidei vestigiis insistentes, divinae revelationis depositum contra omnes errores custodiemus ».[11] Quod certamen ad mortem usque certando, ad acerbissima quaeque toleranda paratus erat. « Mihi — ita scribit — pro fide, quae in Christo est, et laborare et vivere et mori maximum votum est ».[12] « Me igitur nulla neque iniuria, neque contumelia, neque convicia movent... Tantum fides integra et salva sit ».[13] Ac martyrii palmas forti nobilique animo exoptans, haec edit generosissima verba: « Statui propter Christi fidem quemvis laborem subire, quaevis quoque perferre tormenta, etiam ea, quae inter supplicia censentur gravissima, donec tandem mortem hac de causa susceptam mihi iucundam pertulero ».[14] « Nam si pro gloria Dei veritatem praedicare formidaverimus, ne videlicet in aliquam molestiam incidamus, qua, quaeso, fronte sanctorum martyrum certamina et triumphos apud populum laudibus evehemus? » [15]

Cum autem in Aegypti coenobiis plures haberentur atque acerrimae de nova haeresi Nestoriana disputationes, ut vigilantissimus est Pastor, de huius doctrinae fallaciis atque periculis monachos admonet, non ut lites verborumque concertationes inflammet, « verum ut si qui de cetero — ita iisdem scribit — vos adorti fuerint, illorum futilitati veritatem opponentes, et ipsi erroris perniciem effugiatis, et alios opportunis rationibus perinde ut fratres inducatis, quo fidem iam olim Ecclesiis per sanctos Apostolos traditam, non secus ac margaritam, animis suis insertam, constanter retineant ».[16] Ac luculentissime animadvertit — ut omnes facile agnoscent, qui epistulas perlegerint, quas ipse de Antiochenorum causa de-

[11] Cf. in Ioann., l. X; MIGNE, *P. G.*, LXXIV, 419.
[12] Ep. 10: MIGNE, *P. G.*, LXXVII, 78.
[13] Ep. 9: ib., 62.
[14] Ep. 10: ib., 70.
[15] Ep. 9: ib., 63.
[16] Ep. 1: ib., 14.

dit — christianam eiusmodi fidem, quae totis viribus nobis servanda tuendaque est, per Sacras Litteras ac per sanctorum Patrum [17] doctrinam nobis esse traditam, itemque per vividum ac falli nescium Ecclesiae magisterium clare legitimeque propositam. Cum enim Antiochenae Provinciae Episcopi ad instaurandam servandamque pacem sufficere autumarent Nicaenam tantummodo retinere fidem, S. Cyrillus, Nicaenum Symbolum firmiter et ipse amplexus, a suis in Episcopatu Fratribus Nestorianae etiam haeresis improbationem damnationemque ad unitatem constabiliendam requisivit. Optime siquidem noverat non satis esse vetera ecclesiastici magisterii documenta mente prona accipere, sed illa etiam omnia oportere demisso fidelique animo amplecti, quae ab Ecclesia vi supremae auctoritatis suae subinde nobis credenda iniungantur. Immo, neque sub specie refovendae concordiae fas est vel unum dissimulare dogma; nam ut Alexandrinus Patriarcha admonet: « Pacem quidem desiderare summum bonum est atque praecipuum... verumtamen non ob hanc causam despici oportet pietatis in Christo virtutem ».[18] Quamobrem ad optatissimum aberrantium filiorum reditum ad germanam rectamque in Christo unitatem via illa ac ratio non conducit, quae illa dumtaxat doctrinae capita persequatur, in quae amplectenda vel omnes, vel saltem plurimae eorum, qui christiano gloriantur nomine, communitates conveniant; sed illa potius, quae universas atque integras divinitus patefactas veritates veluti christifidelium concordiae consensionisque fundamentum ponat.

Ob strenuam eiusmodi fortitudinem in fidei integritate retinenda tutandaque S. Cyrillus Alexandrinus exemplo omnibus esto. Ipse siquidem vixdum Nestorii errorem detexit, per epistulas eum et alia scripta refutavit, Romanum appellavit Pontificem, atque in Ephesina Synodo, eius personam gerens, gliscentem haeresim mira doctrina intrepidoque pectore retudit atque damnavit; ita quidem ut omnes Concilii Patres, lecta

[17] Cf. Ep. 55: ib., 292-293.

[18] Ep. 61: ib., 325.

publice Cyrilli epistula, quae dogmatica appellatur, eam rectae fidei omnino consonam sollemni sententia comprobarent. Ac praeterea ob hanc apostolicam strenuitatem et inique fuit ab Episcopali suo munere deturbatus, et iniurias fratrum, conciliabuli non legitimi improbationem, carceres angoresque multos, sereno invictoque animo toleravit. Itemque non modo Episcopis, e recto veritatis concordiaeque itinere aberrantibus, sed ipsi etiam Augusto Imperatori, pro sanctissimi conscientia officii, aperte obsistere non dubitavit. Atque etiam, ut omnes norunt, christianae alendae tutandaeque fidei paene innumera exaravit volumina, e quibus praestantissimae elucent eius sapientiae iubar, impavida eius pectoris constantia, ac pastoralis eius sollicitudinis navitas.

## II

Fidei vero nexui caritas accedat oportet, qua invicem omnes et cum Christo coniungamur; quaeque, Divino Spiritu instincta atque permota, mystici Corporis Redemptoris membra infragili vinculo inter se conectat. Haec autem caritas aberrantes etiam viaque deceptos homines amplecti non renuat; quod quidem in mira S. Cyrilli agendi ratione in exemplum cernere licet. Ipse enim, quamvis fortiter contra Nestorii haeresim decertaverit, aperte tamen asseverat, incensa ut erat caritate actus, se nulli concedere, ut ardentius quam ipsemet, Nestorium amare fateatur. [19] Idque non immerito. Ii sunt enim qui e recto itinere aberrant, veluti aegrotantes fratres habendi, ac leni suavique cura tractandi. Quam ad rem prudentissima haec Alexandrini Patriarchae consilia recolere iuvat. « Res enim — ita admonet — magnae eget moderationis ».[20] « Nam durae saepe collisiones multos ad impudentiam impellunt; meliusque est blande potius sustinere resistentes, quam iuris acumine molestiam illis creare. Nam sicut si cor-

[19] Cf. Ep. 9: Ib., 62.
[20] Ep. 57: Ib., 322.

pus illis aegrotaverit, manu prorsus tractandi forent; ita laboranti animae prudentia quadam succurrendum est, medelae instar adhibita. Pedetentim enim ipsi quoque ad sincerum animi statum devenient ».[21] Atque alibi haec adicit: « Peritorum medicorum industriam... imitati sumus: hi enim morbos et vulnera in humano corpore nascentia non statim igne aut ferro atrociter curant; sed vulnere levioribus primo medicamentis delinito, tempus praestolantur ustioni et sectioni opportunum ».[22] Eiusmodi ut erat misericordia benignitateque erga errantes animatus, aperte profitetur se « pacis quidem perstudiosum, a litibus vero ac rixis alienum esse prorsus: denique talem, qui omnes amare et ab omnibus vicissim amari » [23] peroptet.

Haec prona S. Doctoris ad concordiam facilitas tum maxime enituit, cum, priore severitate mitigata, paci conciliandae cum Antiochenae Provinciae Episcopis studiose diligenterque vacavit. De eorum enim legato agens, haec inter alia scribit: « Fortasse non parva certamina se obiturum suspicabatur, ut nobis persuaderet opus esse ut in concordiam et pacem conecterentur Ecclesiae, tollereturque heterodoxorum irrisio, ac diabolicae improbitatis acies retunderetur. Verum ita nos ad eam rem paratos comperit, ut nullum penitus laborem sustinuerit. Memores enim sumus Salvatoris nostri dicentis: "Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis" ».[24] Quandoquidem vero huic ineundae paci duodecim obstabant Capitula, a S. Cyrillo in Alexandrina Synodo composita — quae quidem Capitula cum de « unione physica » in Christo loquerentur, ab Antiochenis uti heterodoxa reiciebantur — benignissimus Patriarcha, quamvis haec scripta non improbaret neque reiceret, utpote quae orthodoxam proponerent doctrinam, pluribus tamen datis epistulis ita mentem suam aperuit, ut quaelibet arceretur vel mi-

[21] Ep. 58: ib., 322.
[22] Ep. 18: ib., 123-126.
[23] Ep. 9: ib., 62.
[24] Ep. 39: ib., 175.

nima erroris species, ac facilior ad concordiam via pateret. Haec autem Episcopis praestitit « non iam sicut repugnantibus, sed sicut fratribus ».[25] Nam, ipso auctore, « propter Ecclesiarum pacem, et ne hae invicem ob opinionum dissensum separentur, non sunt inutiles condescensiones ».[26] Itaque feliciter evenit, ut S. Cyrilli caritas uberes pacis fructus colligeret optatissimos. Quam quidem albescentem pacem cum tandem aliquando cernere potuit, et Antiochenae Provinciae Episcopos, Nestorianam haeresim damnantes, fraterno animo complecti, superno gaudio perfusus exclamavit: « "Laetentur caeli, et exsultet terra!" Solutus est enim medius paries maceriae, et quod maerorem afferebat, conquievit, et omne dissidiorum genus sublatum est, omnium nostrum Salvatore Christo pacem Ecclesiis suis tribuente ».[27]

Iamvero, ut remotissimo eo tempore, ita in praesenti quoque, Venerabiles Fratres, ad eam auspicato provehendam, ad quam boni omnes contendunt, dissidentium filiorum cum una Ecclesia Christi conciliationem, procul dubio sincera atque efficax animorum benevolentia adiumentum afferet, afflante iuvanteque Deo, omnium validissimum. Hic enim benevolentiae affectus mutuam refovet cognitionem, ad quam quidem procurandam perficiendamque Decessores Nostri per varia incepta tantopere allaborarunt, ac nominatim per conditum in hac alma Urbe Pontificium Institutum altioribus rerum orientalium provehendis studiis. Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere, peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent. Sit enim necesse est singulis universis orientalis ritus populis in rebus omnibus, quae a sua

[25] Ep. 33: ib., 161.
[26] Ep. 43: ib., 222-224.
[27] Ep. 39: ib., 174.

cuiusque historia a suoque cuiusque ingenio atque indole pendent, legitima libertas, quae tamen a vera et integra Iesu Christi doctrina non discrepet. Idque sciant ac secum reputent tum qui in Catholicae Ecclesiae gremio sunt nati, tum qui desiderio ac voto eidem assequendae velificantur: qui etiam omnes noscant ac pro certo habeant se numquam coactum iri ad proprios legitimos ritus et ad antiquitus sibi tradita instituta cum latinis ritibus institutisque commutanda; quae quidem omnia, aequali aestimatione aequalique decore habenda, communem matrem Ecclesiam quasi regia circumdant varietate. Quin immo eiusmodi rituum institutionumque diversitas, dum id, quod unicuique antiquum est atque pretiosum, sartum tectumque servat, verae sinceraeque unitati minime obsistit. Nostris autem potissimum temporibus, quibus bellica discordia atque simultas fere ubique terrarum ab se invicem hominum animos abalienarunt, oportet omnes ad coniunctionem in Christo ac per Christum omni ope fovendam, christiana caritate acti, etiam atque etiam compellantur.

## III

Verumtamen fidei caritatisque opus mancum prorsus atque inefficax esset ad unitatem in Christo Iesu confirmandam, nisi in inconcussa illa inniteretur petra, supra quam Ecclesia est divinitus condita: in Petri nimirum eiusque Successorum suprema auctoritate. Quod quidem Alexandrini Patriarchae in gravissima hac causa agendi ratio luculentissime comprobat. Ipse enim tum in Nestoriana profligandā haeresi, tum in concilianda cum Antiochenae provinciae Episcopis concordia, arctissime fuit constantissimeque cum Apostolica hac Sede coniunctus. Siquidem quando evigilans Praesul Nestorii errores perspexit cum periculosiore cotidie rectae fidei discrimine gliscere et usquequaque grassari, ad Decessorem Nostrum S. Caelestinum I litteras dedit, in quibus haec inter alia habentur: « Quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et

longa Ecclesiarum consuetudo suadet ut huiusmodi res cum sanctitate tua communicentur, scribo plane necessitate adactus ».[28] Ad quae quidem Romanus Pontifex respondet se Cyrillum « velut praesentem in litteris suis » amplexum esse « cum unum idemque... sentire de Domino »[29] viderentur. Quapropter Antistes sacrorum Maximus huic tam orthodoxo Doctori auctoritatem Apostolicae Sedis delegavit, qua ipse decreta, iam in Romana Synodo contra Nestorium lata, exsequenda curaret. Atque omnibus perspicuum est, Venerabiles Fratres, Alexandrinum Patriarcham in Ephesino Concilio celebrando Romani Pontificis vices rite gessisse, qui quidem propriis etiam missis Legatis id maximopere iisdem commendavit, ut S. Cyrilli operam auctoritatemque confirmarent. Ipse igitur Romani Episcopi nomine sacrae huic Synodo praefuit, eiusque acta primus omnium signavit. Ac tam patens omnibus, tam splendens erat inter Apostolicam et Alexandrinam Sedem concordia, ut cum in secunda Concilii sessione fuisset S. Caelestini epistula publice perlecta, ita Patres conclamarent: « Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Caelestino, novo Paulo Cyrillo, Caelestino custodi fidei, Caelestino cum Synodo concordi, Caelestino universa Synodus gratias agit. Unus Caelestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum ».[30] Nihil igitur mirum quod paulo post idem Cyrillus rescripsit: « Fidei meae rectitudini testimonium perhibuit et Romana Ecclesia, et sancta quoque Synodus ex universo, ut ita dicam, orbe qui sub caelo est, congregata ».[31]

Ac praeterea haec eadem constantissima S. Cyrilli cum Apostolica Sede coniunctio luculenter patet, si res ab eo gestas consideramus ad pacem cum Antiochenae provinciae Episcopis ineundam ac solidandam. Etenim Decessor Noster S. Caelestinus cum omnia probaret rataque haberet, quae Alexandrinus

[28] Ep. 11: ib., 79.
[29] Cf. *Ep. ad Cyrillum*: ib., 90.
[30] MANSI, IV, 1287.
[31] *Apol. ad Theodos.*: MIGNE, *P. G.*, LXXVI, 482.

Antistes in Ephesina Synodo peregerat, excipiendam tamen iudicavit excommunicationis sententiam, quam Concilii Praeses, una cum ceteris Patribus, contra Antiochenos tulerat. « De his autem — ita Romanus Pontifex — qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse... quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae Apostolica Sedes semper aspexit... Antiochenum, si habet spem correctionis, epistulis a vestra fraternitate volumus conveniri... Credendum de divina est misericordia quod omnes in viam redeant veritatis ».[32] Huic autem a Romana Sede datae normae S. Cyrillus obtemperans, cum Antiochenae provinciae Episcopis de redintengranda pace atque concordia agere coepit. Cumque interea, S. Caelestino piissime vita functo, de eius Successores Xysto III quidam referrent moleste eum tulisse Nestorium ab Episcopali suo munere fuisse reiectum, eiusmodi voces Alexandrinus Patriarcha hisce verbis refutavit: « Scripsit enim (Xystus) consona sanctae Synodo, omniaque illius gesta confirmavit, ac nobiscum sentit ».[33]

E quibus omnibus liquido patet S. Cyrillum cum hac Apostolica Sede omnino consensisse, itemque Decessores Nostros eius gesta quasi habuisse propria, meritisque extulisse laudibus. Siquidem S. Caelestinus, praeterquam innumera ei fiduciae gratique animi praebuerat testimonia, haec inter alia eidem scribebat: « Gratulamur tantam inesse sanctitati tuae vigilantiam, ut decessorum tuorum, qui et ipsi semper defensores orthodoxi dogmatis exstiterunt, exempla iam viceris... Omnes tendiculas praedicationis callidae detexisti... Magnus fidei nostrae triumphus est et asseruisse nostra tam fortiter, et adversa Sanctarum Scripturarum testimoniis sic devicisse ».[34] Et cum eius in Summo Pontificatu Successor S. Xystus III ab Alexandrino Antistite accepisset initae pacis conciliationisque

[32] Ep. 22: Migne, *P. L.*, L, 542-543.
[33] Ep. 40: Migne, *P. G.*, LXXVII, 202.
[34] Ep. 11, 1-2: Migne, *P. L.*, L, 461.

nuntium, haec laetabundus eidem scripsit: « Ecce enim sollicitis nobis, quia neminem perire volumus, sanctitas tua redintegratum corpus Ecclesiae suis epistulis indicavit. Redeuntibus eius in sua membra compagibus, neminem foris iam videmus errare, quia intus omnes positos fides una testatur... Ad beatum apostolum Petrum fraternitas universa convenit: ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis... Ad nos reversi sunt fratres, ad nos, inquam, qui morbum communi studio persequentes, animarum curavimus sanitatem... Exsulta, Frater carissime, et ad nos recollectis fratribus victor exsulta. Quaerebat Ecclesia quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quanto magis gaudendum nobis est sanitate rectorum? »[35] Quibus quidem Decessoris Nostri verbis recreatus Alexandrinus Praesul, invictus orthodoxae fidei vindex, christianaeque concordiae conciliator studiosissimus, in pace Christi quievit.

Nos vero, Venerabiles Fratres, natalis huius memoriam quindeciens saecularem celebrantes, nihil desiderabilius optamus, quam ut omnes, quotquot christiano censentur nomine, S. Cyrilli patrocinio et exemplo, dissidentium fratrum orientalium felicem ad Nos et ad unam Iesu Christi Ecclesiam reditum magis in dies magisque promoveant. Una sit omnibus intemerata fides; una, omnesque simul coagmentans, in mystico Iesu Christi Corpore caritas, una denique ac sedula actuosaque erga beati Petri Sedem fidelitas. In hoc meritissimum dignumque opus non modo ii vires omnes impendant, qui in orientalibus regionibus vitam degunt, quique mutua aestimatione, conversatione benevola, integerrimae virtutis exemplo seiunctos fratres, sacrorum praesertim administros, ad Ecclesiae unitatem facilius allicere poterunt, sed cuncti etiam christifideles, unum ubique terrarum Divini Redemptoris Regnum unumque universorum ovile a Deo implorantes atque adprecantes. Quibus quidem omnibus illam impri-

[35] Ep. 5, 1. 3. 5: 1b., 602-604.

mis validissimam opem commendamus, quae in quolibet suscipiendo salutifero labore primum ac praecipuum sit oportet simul tempore simulque efficacitate adiumentum: precationem dicimus ardenti, demisso fidentique animo ad Deum admotam. Ac potentissimum interponant cupimus Deiparae Virginis patrocinium, ut hac benignissima deprecatrice et amantissima omnium Matre, Divinus Spiritus Orientalium gentium animos superna sua luce illuminet, utque omnes unum simus in una Ecclesia a Iesu Christo condita, et ab ipso Paraclito Spiritu iugi gratiarum imbre alita ad sanctitatemque permota. Iis vero, qui vel in sacris ephebeis, vel in ceteris collegiis vitam agunt, «Diem pro Oriente», ut aiunt, peculiari modo commendatum volumus; quo quidem die incensiores preces ad Divinum universae Ecclesiae Pastorem effundantur, ac iuvenum animi sanctissimae eiusmodi unitatis assequendae desiderio impensius instimulentur. Atque omnes denique, qui, vel sacro decorati sunt ordine, vel in Catholicae Actionis agmina in ceterasque consociationes adsciti, adiutricem Ecclesiasticae Hierarchiae navant operam, qua precibus, qua scriptis, qua alloquiis, optatissimam Orientalium omnium cum communi Patre unitatem etiam atque etiam provehant.

Ac faxit utinam Deus, ut paterna haec Nostra impensaque invitatio ab iis etiam dissidentibus Episcopis eorumque gregibus benevolenti exaudiatur animo, qui, a Nobis licet seiuncti, Alexandrinum tamen Patriarcham uti domesticam gloriam dilaudant ac venerantur. Esto praeclarissimus Doctor eis magister atque exemplum ad concordiam triplici illo vinculo iterum instaurandam, quod ipse, utpote rem omnino necessariam, tantopere commendavit, et quo Divinus Ecclesiae Conditor universos filios suos devinciri voluit. Meminerint iidem Nos illam hodie, providentis Dei consilio, Apostolicam obtinere Sedem, ad quam Alexandrinus Antistes, proprii officii conscientia ductus, provocavit, tum ut orthodoxam fidem contra Nestorii errores tutis armis defenderet, tum etiam

ut dissidentium fratrum pacata consensio quasi divino sigillo muniretur. Ac sciant Nos eadem esse, qua Decessores Nostri, caritate permoti; idque iugibus votis ac precibus potissimum intendere, ut inveteratis obstaculis feliciter remotis, ille tandem illucescat dies, quo unus in uno ovili habeatur grex, Iesu Christo eiusque in terris Vicario concordibus animis obtemperans.

Eos autem peculiari modo ex orientalibus regionibus dissidentes filios compellamus, qui utique Cyrillum summa veneratione colunt, sed tamen Chalcedonensis Synodi auctoritatem idcirco non agnoscunt, quod in ea sollemniter sancitum fuit duplicem esse in Iesu Christo naturam. Perpendant iidem quae deinceps fuere, novis emergentibus erroribus, in Chalcedonensi Concilio decreta, non ea Alexandrinum Patriarcham suâ sententiâ renuere. Ipse enim aperte scribit « non omnia, quae haeretici dicunt, statim fugienda ac repudianda esse: multa enim confitentur ex iis, quae nos quoque asserimus... Sic et de Nestorio quoque, licet duas naturas esse dicat, carnis et Verbi Dei differentiam significans: est enim alia Verbi, alia carnis natura: attamen unionem una nobiscum non confitetur ».[36]

Itemque fore sperare licet, ut hodierni quoque Nestorii assectatores, si, remoto a praeiudicatis opinionibus animo, S. Cyrilli scripta exquisierint intenteque reputaverint, viam sibi ad veritatem patere cernant, seseque sentiant, adspirante iuvanteque Deo, ad Catholicae Ecclesiae gremium revocari.

Iam nihil aliud superest, Venerabiles Fratres, nisi ut, per hanc S. Cyrilli celebrationem quindeciens saecularem, universae Ecclesiae, iisque praesertim omnibus, qui in orientalibus regionibus christiano gloriantur nomine, praesentissimum Sancti huius Doctoris patrocinium supplices imploremus, id potissimum ut dissidentibus fratribus ac filiis feliciter eveniat comprecantes, quod ipse olim gratulabundus scripsit: « Ecce divulsa ecclesiastici corporis membra rursum inter se coadu-

[36] Ep. 44: Migne, *P. G.*, LXXVII, 226.

nata sunt, et iam nihil reliquum est, quod ministros Evangelii Christi per discordiam seiungat ».[37]

Qua quidem suavissima spe freti, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum gregibus unicuique vestrum concreditis, caelestium munerum auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IX mensis Aprilis, dominica Resurrectionis D. N. I. Ch., anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XII

## LITTERAE APOSTOLICAE

LOCI « SUSEGANA » NUNCUPATI, INTRA FINES VICTORIENSIS VENETORUM DIOECESIS, B. V. MARIA TITULO « AUXILIUM CHRISTIANORUM » PATRONA PRIMARIA, ET SANCTUS SEBASTIANUS, MARTYR, AC SANCTUS ANTONIUS PATAVINUS, CONFESSOR, PATRONI SECUNDARII PROCLAMANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Archipresbyteralis ecclesiae loci « Susegana » vulgo nuncupati, intra fines Victoriensis Venetorum dioecesis hodiernus Archipresbyter parochus, nomine quoque Vicarii cooperatoris, iurepatroni nec non populi fidelis loci ipsius, Nos enixe rogat ut Beatissimam Virginem Mariam titulo « Auxilium Christianorum » coelestem apud Deum primariam Patronam ac Sanctum Sebastianum Martyrem et Sanctum Antonium Patavinum Confessorem Patronos secundarios loci eiusdem declarare dignemur. Refert quidem ipse orator super templi archipresbyteralis sui, titulo Visitationis Beatae Mariae Virginis ad Elisabeth Deo dicati, altare maius affabre pictam exstare effigiem Deiparare in ulnis puerum Iesum, quasi mundo oblatum, gestantis, pluribus Sanctis circumdatae, quae veluti mater potens ac benigna quam maxime colitur a plebe fideli, quae iam se ipsam Cordi Immaculato Virginis Mariae sollemniter consecravit. Cum vero nuperrime venerabilis Frater Victoriensium Venetorum Episcopus Beatae Virginis

[37] Ep. 49: ib., 254.

Auxilii christianorum electionem in Patronam loci de Susegana ab oppidanis abhinc aliquot menses factam assensu suo comprobaverit, atque etiam vota memorata Nobis instanter commendet, Nos ad magis magisque christifidelium loci praedicti fovendam erga Deiparam Christianorum Auxilium venerationem ac pietatem, supplicationibus archipresbyteri oratoris ceterorumque annuendum censemus. Itaque audito Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Praenestino Episcopo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo « Auxilium Christianorum » loci « Susegana » vulgo nuncupati intra fines Victoriensis Venetorum dioecesis, praecipuam Patronam, omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae principalibus locorum Patronis competunt, ac Sanctum Sebastianum martyrem et Sanctum Antonium Patavinum, confessorem, Patronos minus principales confirmamus, constituimus et declaramus. Haec decernimus, edicimus, statuentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI m. Octobris, an. MCMXXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

## EPISTULA

AD EMUM P. D. ALOYSIUM S. R. E. PRESB. CARD. MAGLIONE, A PUBLICIS ECCLESIAE NEGOTIIS: SUPPLICATIONES ITERUM INDICUNTUR AD POPULORUM PACEM CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quocumque oculos animumque convertimus, internecivum fraternumque hoc bellum nihil aliud Nos cernere iubet, nisi angores, clades immanesque ruinas. Eiusmodi Nos tristissimarum rerum simultatisque turbinem, qui ipsa humanae consortionis fundamenta concutere ac diruere nititur, que-

madmodum olim adventantem instando supplicandoque deprecati sumus, ita postea gliscentem cotidie formidolosius alloquio et opera mitigare ac refrenare pro facultate contendimus; sed, quamvis quae non pauca suscepimus caritatis opera, multorum aerumnas doloresque leniverint, summo tamen cum maerore fatemur impares Nos esse miseriarum magnitudini, quibus mederi cupimus, atque interdum, proh dolor, hominum voluntatem sollicitae impensaeque voluntati Nostrae actuosam non respondere. Quamobrem « ad Patrem misericordiarum »[1] fidentes preces admovemus; optamusque vehementer ut omnes una Nobiscum instantes perseverantesque ad eum supplicationes adhibeant, qui unus potest almo suo lumine ac flexanimae gratiae suae muneribus non modo mulcere dolores, eosque ad superna convertens, tolerabiliores salutaresque efficere, sed eorum etiam mentes, quorum e consilio res pendet, ita collustrare, pacare ac dirigere, ut caritati quam primum odium concedat, ac violentiae, cladi rerumque omnium dissolutioni ius, concordia rectusque ordo sufficiantur. Quando sit optatissima haec hora e turbolentis hisce procellis emersura feliciter, mortalibus oculis prospicere non licet; novimus tamen omnia e sempiterni Numinis pendere nutu; atque adeo universos, quos habemus in Christo filios, etiam atque etiam adhortamur ut avitam fidem renovent, redintegrent, adaugeant; ut in piae paenitentiae opera necessario hoc tempore volentes incumbant; utque ita animati pacem illam fatigato ac trepido humano generi a Caelesti Patre impetrent, quae iustitiae sceptro temperetur ac divino vigeat christianae religionis afflatu. Et quandoquidem iam Maius approperat mensis, Deiparae Virgini sacer, hoc etiam anno ad sacram precum contentionem excitamus omnes, ac novellam praesertim aetatem, quae sicut animi candore renidet, ita Redemptori nostro eiusque benignissimae Matri acceptior est atque gratior. Curent patres matresque familias, curent sacrorum administri, curent denique omnes, quibus christianae verique nominis pax in votis est, ut per proximum mensem ad Mariae Virginis aram insontes pueri ac puellae secum una constipentur, flores, preces, piaeque deferentes paenitentiae opera. Quodsi nondum tot supplicationibus ac votis pax optatissima arrisit, non est idcirco nec animo nec spe decidendum; sed oportet potius christiana illa perseverantia instent ac contendant omnes, quae tantopere a Iesu Christo commendatur. Quoniam vero immane hoc bellum ad almam hanc Urbem iam prope accessit, atque eius afflictissimae res condicionesque trepidum pulsant animum Nostrum, temperare Nobis non possumus quin dilectissimam hanc Dominici gregis

[1] Cf. *II Cor.* 1, 3.

partem paterno pectore amplexantes, eam peculiari modo compellemus, ut quemadmodum per superioris aetatis decursum, quotiescumque Romana plebs publicis fuit perculsa ac perterrita calamitatibus, ad illius aram supplicando confugit, quae « Salus populi Romani » appellatur, eiusque praesentissimum patrocinium saepenumero experta est, ita fidens in praesens quoque sanctissimam Dei Matrem adeat, christianorum morum redintegrationem volenti firmoque animo polliceatur, ac non modo pacem, tranquillitatem prosperitatemque precando paenitendoque imploret, sed id etiam obsecrando obtestandoque ab ea contendat, ut nempe ab hac principe catholici nominis urbe, quae tot gloriis memoriisque refulget, ingruens prohibeatur malorum procella, ut novi ne addantur suis civibus luctus, neve praeclaris hisce artis religionisque monumentis, quae ad quamlibet excultam gentem quodammodo pertinent, indignae inferantur ruinae. Tuum autem officium erit, Dilecte Fili Noster, haec hortamenta ac vota, quae ex paterno Nostro maerentique oriuntur animo, cum sacrorum Antistibus et cum cetero clero populoque, aptiore quo duxeris modo, communicare, ac pro certo habemus fore omnes optatis hisce Nostris ultro libenterque responsuros.

Interea vero caelestium munerum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis omnibus, pueris nominatim, qui hortationi huic Nostrae pia respondebunt voluntate, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XII

# ACTA SS. CONGREGATIONUM

## SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

*die 21 Ianuarii 1944.* — Cathedrali Ecclesiae Telsensi praefecit Exc. P. D. Vincentium Borisevicius, hactenus Episcopum titularem Lysiadensem et Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis Telsensis.

*die 1 Februarii.* — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Oxyrynchitanae Exc. P. D. Ioannem Emmanuelem González, hactenus Archiepiscopum Popayanensem.

*die 6 Februarii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Elatensi R. D. Iosephum Zaffonato, Archipresbyterum-parochum oppidi *Valdagno,* in dioecesi Vicentina.

*die 28 Februarii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Carpasiensi R. D. Franciscum Ramanauskas, rectorem Seminarii Telsensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Vincentii Borisevicius, Episcopi Telsensis.

*die 11 Martii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Liviensi R. D. Iosephum Siri, professorem in Seminario Ianuensi, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Petri S. R. E. Card. Boetto, Archiepiscopi Ianuensis.

*die 18 Martii.* — Cathedrali Ecclesiae Nottinghamensi R. D. Eduardum Ellis, administratorem paroeciae cathedralis eiusdem dioecesis.

*die 29 Martii.* — Metropolitanae Ecclesiae Tarraconensi Exc. P. D. Emmanuelem Arce Ochotorena, hactenus Episcopum Ovetensem.

— Cathedrali Ecclesiae Zamorensi R. D. Iacobum Font Andreu, Vicarium Generalem dioecesis Vicensis et Archidiaconum eiusdem Capituli Cathedralis.

— Cathedrali Ecclesiae Seguntinae R. D. Aloysium Alonso Muñoyerro, Canonicum Capituli Cathedralis Matritensis.

— Cathedrali Ecclesiae Terulensi, cui adnexa est Administratio dioecesis Albarracinensis, R. P. Leonem Villuendas Polo, Definitorem Generalem Fratrum Minorum.

*die 1 Aprilis.* — Cathedrali Ecclesiae Saskatoonensi R. D. Philippum Franciscum Pocock, professorem in Seminario Londonensi.

*die 4 Aprilis.* — Titulari episcopali Ecclesiae Lyddensi R. P. Hieronymum a Fellette, in saeculo Bartholomaeum Bortignon, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum.

*die 5 Aprilis.* — Titulari episcopali Ecclesiae Lyrbitanae R. D. Victorium d'Alessi, rectorem Seminarii Tarvisini.

*die 15 Aprilis.* — Cathedrali Ecclesiae Gravelburgensi Exc. P. D. Iosephum Lemieux, hactenus Episcopum titularem Calydoniensem et Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis Gravelburgensis.

*die 22 Aprilis.* — Metropolitanae Ecclesiae Popayanensi Exc. P. D. Didacum Gómez, hactenus Episcopum Pastopolitanum.

---

# SACRA CONGREGATIO RITUUM

## I

## CAMERACEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI LUDOVICAE NICOLLE E TERTIO ORDINE S. DOMINICI, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS HUMILIUM FILIARUM S. CORDIS.

SUPER DUBIO

*An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

Serva Dei Ludovica Nicolle, lectissimus flos, qui decimo nono saeculo in Tertii S. Dominici Ordinis viridario gemmavit, bonum virtutum odorem in Cameracensi Archidioecesi mire diffudit.

In oppido Saint-Amand-les-Eaux die 9 Iunii mensis a. D. 1847 nata, sacro baptismate die 14 eiusdem mensis fuit abluta. A teneris unguiculis pietate refulsit, atque in umbratilem vitam inclinatam se sensit, praecipue postquam ad sacram synaxim a. 1858 primitus accessit. Quod pium propositum, eius confessarius, gratiarum copiam quibus Deus puellam ditaverat miratus, probavit, atque consuetudo firmavit Sororum Ber-

nardinarum Insulensis civitatis, apud quas educata fuit. Verum a tenui valetudine praepedita ne in Carmelum, uti optaverat, ingrederetur, pii sacerdotis consilio se in animarum salutem curandam impendit; atque ut religiosam vitam, etiam in saeculo manens, servaret, Tertio Ordini S. Dominici adscribi voluit, sapientesque huius sodalitii regulas ad amussim servavit. Sancti Patriarchae spiritu affatim hausto, ad maiorem sui animi perfectionem adipiscendam advolavit, atque ita in orationis studio profecit, ut unionem cum Deo, ut videtur, attigerit. Aptiorem itaque apostolatui, quem Deus ei assignavit, se reddidit. Tria ad hoc assequendum sibi firmiter proposuit, atque per ferme 24 ultimos suae vitae annos sancte custodivit: Seipsam Deo immolare; religionem erga Sacratissimum Cor Iesu propagare; catechesim pauperes docere. Quocirca nil sibi reservavit, sed totam se in Dei gloriam et animarum salutem generose impendit; demisse de se sentiens, parentibus, animae suae moderatoribus, aliisque ecclesiasticis Superioribus obedientem se praebuit.

Ut suavissimam sacri Cordis Iesu devotionem foveret, spirituales divitias ab Eo manantes pauperibus aliisque suae curae commissis evangelizare, eosque ut Ei servirent, Eumque amarent, imitarentur atque in se quodammodo effingerent, impellere nunquam destitit.

Quod salutare ministerium exercere coepit operarias puellas ad se advocando, easque religionis opera docendo. Officinam postea aperuit, ut hae quae ad vitam sunt necessaria labore sibi compararent: sicque « Patronatum », ut dicunt, sub B. M. V. Immaculatae patrocinio anno 1873 fundavit, cui moderando prudentes normas servandas tradidit.

Quoniam autem tantum opus eius excedebat vires, nonnullas probatae virtutis socias sibi adiunxit, quae eam adiuvarent. Anno itaque 1888, Archiepiscopo Cameracen. probante, *Humilium Filiarum S. Cordis* Congregationem eo consilio condidit, ut fere omnibus sequioris sexus necessitatibus provideri posset: eamque sapientibus constitutionibus munivit.

Multas aerumnas est experta, in magnas difficultates incurrit, plurimis doloribus fuit vexata, at fortiter Deo confisa omnia superavit.

Optaverat quidem Dei Serva ut Congregatio Dominiciano Ordini cooptaretur, sed huius voti non fuit quoad vixit compos facta. Cooptatio enim haec die 4 Augusti, legifero Patriarchae Dominico sacra, anno 1921 perfecta est.

Meritis, non annis, onusta, Ecclesiae sacramentis munita, die 1 Augusti mensis, a. D. 1889, sancto fine quievit.

Sanctitatis fama, quam Serva Dei vivens atque post mortem obtinuit, annorum decursu non defecit. Quocirca, vix datum est, in Cameracensi

Archiepiscopali Curia, atque per Rogatoriales litteras in Curia quoque Parisiensi, annis 1933-1939, informativi processus fuere peracti, atque ad Sacram hanc Congregationem transmissi una cum Servae Dei scriptis.

Interim plures Postulatoriae litterae Summo Pontifici oblatae sunt, enixe huius Dei Famulae Introductionis causam expetentes. Die 19 Maii a. 1939 S. haec Congregatio, perpensis scriptis, nihil obstare decrevit quominus ad discussionem Causae procedi posset.

Omnibus itaque ad normam iuris comparatis, instante Revmo P. Benedicto Lenzetti O. P., Causae huius postulatore legitime constituto, die 18 Ianuarii anni huius, in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione ad Vaticanas Aedes habita, Emus ac Revmus Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur;* atque de ea retulit. Emi ac Revmi Cardinales, relatione Emi Collegae audita, auditis quoque Officialium Praelatorum suffragiis nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, respondere censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Ssmo placuerit.*

Facta autem Beatissimo Patri Pio Papae XII per infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua subsignata die, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *Commissionem Introductionis Causae Servae Dei Ludovicae Nicolle* sua manu signare dignata est.

Datum Romae, die 28 Ianuarii a. D. 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

## II

## NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI PLACIDI BACCHER, SACERDOTIS SAECULARIS E TERTIO ORDINE S. DOMINICI.

SUPER DUBIO

*An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

In Neapolitana civitate, fecunda Servorum Dei altrice, e nobili prosapia, ortus est Placidus Baccher die 5 Aprilis a. 1781 eodemque die baptizatus est. Parentes pios honestosque habuit Vincentium De Gasaro Baccher et Catharinam Cinque. Multa cum gente sua ob politicas seditiones est perpessus, quin imo a. 1799 una cum duobus fratribus morte damnatus est, ex qua, non sine praesenti divinae Matris auxilio, liber evasit.

Sapienti Fratrum Praedicatorum disciplinae commissus integrum studiorum curriculum peregit ac Tertio eorumdem Ordini adscriptus solidae virtutis et mirae pietatis exempla constanter exhibuit.

Anno 1806 ad sacrum Presbyteratus ordinem fuit promotus, nec multo post Ecclesiae « Gesù Vecchio » Rector renuntiatus: quod munus, Beato Francisco Xaverio Bianchi impellente, suscepit. Hac in Ecclesia sacerdotalibus ministeriis per annos ultra quadraginta incubuit, assiduae praesertim praedicationi Verbi Dei, adeo ut passim diceretur illa in Ecclesia iuges missiones haberi. Quanto studio, quibusque industriis frequentissimum populum ad morum reformationem reduceret atque ad veram et solidam pietatem adduceret, testes omnes una voce summisque laudibus concelebrant, Servum Dei neapolitanae plebis apostolum conclamantes eumque uti sanctum venerantes. In ipso enim virtutum omnium praeclara specimina omnes admirabantur. Et merito quidem.

Ex orationis studio cui apprime deditus erat, mirus quidam in eo oriebatur devotionis affectus. Hinc, cum sacrosanctum Missae sacrificium litabat, uberes ex eius oculis profluebant lacrimae; hinc singularis sensus erga sacratissimum Cor Iesu, eiusque passionem aliaque humanae redemptionis mysteria, atque erga Beatissimam Virginem, cuius immaculati conceptus doctrinam, ante dogmaticam definitionem, strenue defendit, cuius etiam simulacrum in sua Ecclesia veneratum, a Vaticano Capitulo

corona decorandum curavit. Ut christifideles sacra Communione frequentius reficerentur gnavus extitit assertor. Deo unice eiusque providentiae confisus, nulli pepercit industriae, ut sacra rite maximoque decore et splendore fierent: quod uberrimos in animarum salutem protulit fructus.

Omnibus omnia factus, pauperibus subvenire, afflictos erigere, infirmos solari atque ad mortem sancte oppetendam parare, periclitantes puellas a malo praeservare summopere studuit. Tantam autem aestimationem sibi conciliaverat, ut quemlibet prave agentem, Evangelium non erubescens, coram atque efficaciter arguere posset, nulla gradus et conditionis personarum habita ratione. Haec atque plura alia quae longum est referre, humani generis hostis iram concitaverunt, qui eum multifarie vexavit, turbas contra eum commovens, calumnias eidem imponens, impedimenta eius operibus inferens. Verum omnia incassum. Placidus enim iugi oratione, asperrimo vitae genere quo corpus suum afflictabat, nec non patientia, qua diros morbos, quibus cruciabatur, tolerabat, victor semper extitit. Quas virtutes, dum vixit atque etiam post eius obitum, Deus videtur supernaturalibus donis munerari voluisse. Reliquum erat ut Ipse tam benemeritum virum, qui *bonum certamen certavit, cursum* sibi propositum *consummavit, fidem servavit, tandem reposita iustitiae corona* donaret. Gravi porro morbo correptus, sacramentis morientium roboratus ad Superos die 19 Octobris mensis, anno 1851 evolavit, tota Neapolitana civitate complorante.

Sanctitatis fama virescente, ordinaria auctoritate processus instructus fuit, servatoque iuris ordine die 12 Maii 1909 Introductionis Causae decretum editum est, una cum eiusdem Commissione a Pio Papa X subsignata. Apostolicis dein inquisitionibus peractis, de heroicis Servi Dei virtutibus in Antepraeparatoria, quam dicunt, Congregatione die 30 Iunii a. 1931 coram Rmo Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostien. et Albanen. Causae Ponente seu Relatore, primo disceptatum est, deinde diebus 19 Iunii a. 1935, 31 Martii a. 1936 atque 26 Ianuarii a. 1943 in Praeparatoriis, demum in Generali die 11 Ianuarii anni huius, coram Ssmo Domino Nostro Pio Papa XII, in quo idem Revmus Cardinalis Relator dubium posuit discutiendum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, officiales Praelati, Patresque Consultores suum quisque tulit suffragium. Beatissimus vero Pater, quid de re sentiret, noluit pandere, ut ferventes prius ingeminarentur preces ut a Deo maiori lumine illustraretur.

Diem autem hanc, Dominicam, quae prima est Quadragesimae, dixit ut suam proferret sententiam.

Quapropter Rmos Cardinales Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Ponentem, atque infrascriptum S. R. E. Praefectum nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem meque Secretarium arcessiri iussit, Sacroque Missae sacrificio pientissime celebrato, decrevit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei* Placidi Baccher *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Februarii, Dominica I Quadragesimae, a. D. 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

## III

## URBIS ET ORBIS

### DECRETUM

Plures locorum Ordinarii Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII exposuere sacerdotes suarum dioecesium, ob ingravescentes in dies belli causa difficultates, etiam vini penuriam pro sacrosancto Missae sacrificio passuros esse; ideoque Eum supplicibus verbis oraverunt, ut vini parsimoniae meliori quo fieri possit modo consulere dignaretur. Sanctitas porro Sua, in audientia infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto concessa, die 12 Maii 1944, attentis hodiernis peculiaribus rerum adiunctis, iisque perdurantibus, benigne indulget, ut purificationes et ablutiones calicis, quae in Missa, iuxta rubricas, cum vino primum ac postea simul cum aqua peragendae sunt, sola aqua fieri possint iis in locis ubi, iuxta prudens Ordinarii iudicium, vini angustiae hodie habeantur, vel in posterum praevideantur. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 12 Maii 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

# ACTA TRIBUNALIUM

## SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

### INSTRUCTIO

CIRCA SACRAMENTALEM ABSOLUTIONEM GENERALI MODO PLURIBUS IMPERTIENDAM.

Ut dubia et difficultates removeantur in interpretanda et exsequenda facultate impertiendi in quibusdam rerum adiunctis absolutionem sacramentalem generali formula seu communi absolutione, sine praevia peccatorum confessione a singulis Christifidelibus peracta, Sacra Paenitentiaria opportunum ducit haec quae sequuntur declarare atque edicere:

I. Sacerdotes, licet ad confessiones sacramentales excipiendas adprobati non sint, facultate fruuntur absolvendi generali modo atque una simul:

*a*) Milites imminenti aut commisso proelio, prout in mortis periculo constitutos, quando, sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia, singuli audiri nequeunt.

Si tamen rerum adiuncta eiusmodi sint, ut vel moraliter impossibile, vel admodum difficile videatur milites absolvere imminenti aut commisso proelio, tunc licet eos absolvere statim ac necessarium iudicabitur (cfr. *Responsum* huius S. Paen. Ap., 10 Dec. 1940; *A. A. S.*, 1940, p. 571).

*b*) Cives et milites instante mortis periculo, durantibus hostilibus incursionibus.

II. Praeter casus in quibus agitur de mortis periculo, non licet sacramentaliter absolvere plures una simul, aut singulos dimidiate tantum confessos, ratione tantum magni concursus paenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae (cfr. Prop. 59 ex damnatis ab Innocentio XI die 2 Martii 1679): licet vero si accedat alia gravis omnino et urgens necessitas, gravitati praecepti divini integritatis confessionis proportionata, verbi gratia si paenitentes — secus nulla sua culpa — diu gratia sacramentali et sacra Communione carere cogantur.

Decernere autem si militum aut captivorum aut civium turma in tali

necessitate inveniatur, locorum Ordinariis reservatur, ad quos praevie recurrere tenentur Sacerdotes, quoties id possibile sit, ut licite eiusmodi absolutionem impertiant.

III. Absolutiones sacramentales pluribus una simul a Sacerdotibus arbitrio suo impertitae, extra casus de quibus in n. I, vel non obtenta praevia Ordinarii licentia, licet hic adiri potuerit, iuxta dicta in n. II, utpote abusus habendae sunt.

IV. Antequam Sacerdotes sacramentalem absolutionem impertiant, quantum rerum adiuncta permittant, de his quae sequuntur Christifideles commonere debent:

*a*) Necessarium scilicet esse ut se quisque paeniteat admissorum suorum et a peccatis abstinere proponat. - Convenit etiam Sacerdotes opportune monere paenitentes, ut contritionis actum externo aliquo modo ostendant, si possibile sit, verbi gratia suum percutiendo pectus.

*b*) Atque omnino necesse esse ut, qui absolutionem turmatim acceperint, in primo deinceps suscipiendo Paenitentiae Sacramento, gravia singula peccata sua rite confiteantur, quae non antea confessi fuerint.

V. Sacerdotes aperte fideles doceant eos graviter prohiberi, ne, quamvis sibi conscii sint culpae mortalis, nondum in confessione recte accusatae et remissae, et obligatio integre lethalia peccata confitendi urgeat ex lege sive divina sive ecclesiastica, de industria declinent huic obligationi satisfacere, occasionem exspectantes, qua absolutio turmatim detur.

VI. Meminerint vero locorum Ordinarii ut de hisce normis gravissimoque officio tunc Sacerdotes commonefaciant cum iisdem facultatis usum permittant — in peculiaribus rerum adiunctis — sacramentalem absolutionem generali formula una simul impertiendi.

VII. Si tempus suppetat, haec absolutio sueta atque integra formula in plurali numero impertienda est; secus vero haec brevior formula adhiberi potest: « Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Facta autem de praemissis relatione Ssmo D. N. Pio div. Prov. Pp. XII ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore, in Audientia diei 18 mensis currentis, idem Ssmus Dominus Instructionem Sacrae Paenitentiariae benigne adprobavit, confirmavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 25 Martii 1944.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

# SACRA ROMANA ROTA

## *Citatio edictalis*

## VILNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (NIENCOW - RADER)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Eduardi Iosephi Rader, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, sive per se sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 19 Iulii 1944, hora undecima ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

*An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti domini Eduardi Iosephi Rader, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Henricus Quattrocolo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 3 Maii 1944.

I. Stoppini, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Edouard Joseph Rader, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 19 juillet 1944, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

*Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?*

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Edouard Joseph Rader devront, dans la mesure du possibile, l'avertir de la présente citation.

# DIARIUM ROMANAE CURIAE

## SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 28 marzo 1944, nel Palazzo delle Congregazioni a S. Callisto, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* alla presenza dell'Emo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente o Relatore della Causa del Servo di Dio Lodovico Eduardo Cestac, fondatore della Congregazione delle Serve di Maria, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù dello stesso Servo di Dio.

Martedì, 18 aprile 1944, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della Ven. Serva di Dio Caterina Volpicelli, fondatrice dell'Istituto delle Ancelle del Sacro Cuore.

Martedì, 25 aprile 1944, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso:

I. Sulla introduzione della Causa dei Servi di Dio:

*a*) Clemente Marchisio, Prevosto di Rivalba, fondatore dell'Istituto delle Figlie di S. Giuseppe.

*b*) Maria Pia della Croce (Maddalena Notari), fondatrice dell'Istituto delle Suore Crocifisse adoratrici del Ssmo Sacramento.

II. Sul non culto dei Servi di Dio:

*a*) Giuseppe Giraldi, laico, professo dell'Ordine dei Frati Minori.

*b*) Alberico Crescitelli, missionario apostolico.

*c*) Giovanna Francesca della Visitazione (Anna Michelotti), fondatrice delle Piccole Serve del S. Cuore di Gesù per gli infermi poveri.

*d*) Maria Enrica Dominici, dell'Istituto delle Suore di S. Anna della Provvidenza.

Martedì, 9 maggio 1944, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno dato il loro voto:

1) Sul *Tuto* per la Canonizzazione del Beato Nicola di Flue, confessore, eremita svizzero.

2) Sulla eroicità delle virtù del Servo di Dio Placido Riccardi, sacerdote, monaco dell'Ordine di S. Benedetto.

# SEGRETERIA DI STATO

## NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

14 febbraio 1944. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Raffaello Carlo Rossi, *Protettore dell'Istituto delle Figlie di Nostra Signora al Monte Calvario, con la Casa generalizia in Roma.*

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Carlo Salotti, *Protettore dell'Istituto delle Figlie di Maria Ausiliatrice, con la Casa madre in Torino.*

25 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Nicola Canali, *Protettore dell'Ordine dei Frati Minori Conventuali.*

18 aprile » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Tisserant, *Protettore dell'Istituto delle Suore della Dottrina cristiana di Nancy.*

28 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Camillo Caccia Dominioni, *Protettore dell'Istituto delle Figlie della Presentazione di Maria Santissima al Tempio* (Como).

4 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Camillo Caccia Dominioni, *Protettore dell'Istituto delle Suore della Santissima Vergine del Rosario, con la casa madre in Udine.*

Con Biglietto della Segreteria di Stato in data 15 maggio 1944, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare il Revmo Padre Giuseppe Grendel, Superiore Generale della Società del Divin Verbo, *Consultore della Suprema Sacra Congregazione del Sant'Offizio.*

---

# NECROLOGIO

19 gennaio 1943. Monsig. Luigi Pénicaud, Vescovo tit. di Asso.

6 marzo » Monsig. Fabiano Yu Teh Guen, Vescovo tit. di Facusa e Vicario Apost. di Kiating.

21 novembre » Monsig. Gustavo Giorgio Vandaele, Vescovo tit. di Tammaco e Vicario Apost. di Hung Hoa.

13 gennaio 1944. Monsig. Gaspare Schotte, Vescovo tit. di Petinesso e Vicario Apost. di Ningsia.
11 febbraio » Monsig. Paolo Kubicki, Vescovo tit. di Canata.
20 » » Monsig. Paolo Maria Dumond, Vescovo tit. di Curubi e Vicario Apost. di Nanchang.
22 » » Monsig. Francesco Maria Berti, Vescovo tit. di Sebaste di Palestina.
29 » » Monsig. Saba Sarasola, Vescovo tit. di Tenara e Vicario Apost. di Urubamba e Madre di Dio.
2 marzo » Monsig. Giulio Giuseppe Cénez, Vescovo tit. di Nicopoli di Armenia.
3 » » Monsig. Giosuè Cattarossi, Vescovo di Belluno e Feltre.
15 » » Monsig. Giovanni B. Peterson, Vescovo di Manchester.
18 » » Monsig. Guglielmo Griffin, Vescovo tit. di Lidda.
30 » » Monsig. Nicola Monterisi, Arcivescovo di Salerno.
8 aprile » Monsig. Alberto Maria Fuchs, Vescovo tit. di Cibira.
14 aprile » Monsig. Giuseppe Perrachon, Vescovo tit. di Centuria.
22 » » Emo Signor Card. Guglielmo O'Connell, Primo Prete del Titolo di S. Clemente, Arcivescovo di Boston.
1 maggio » Monsig. Stanislao Okoniewski, Vescovo di Culma.
6 » » Monsig. Giacomo Montanelli, Arcivescovo di Vercelli.
7 » » Monsig. Colombano Dreyer, Arcivescovo tit. di Aduli.
17 » » Monsig. Monalduzio Leopardi, Vescovo di Osimo e Cingoli.

PONTIFICIA COMMISSIONE PER LA REDAZIONE
DEL CODICE DI DIRITTO CANONICO ORIENTALE

# FONTI

## SERIE I

Fasc. I - **Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) - Parte prima, pp. I-XIX; 1-581. - L. 35.

Fasc. II - **Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) - Parte seconda, pp. 1-629. - L. 35.

Fasc. III - **Disciplina antiochena** (Siri): I. **Nomocanone di Bar-Hebreo**, pp. 1-171. - L. 15.

Fasc. IV - **Disciplina caldea:** I. **Droit ancien: Synodes** (Synodicon orientale); Collectio canonum synodicorum d'Ebedjésus de Nisibe, pp. 1-325. - L. 20.

Fasc. V - **Disciplina alessandrina** (Etiopi): Testi di diritto antichi e moderni riguardanti gli Etiopi, pp. 1-351. - L. 35.

Fasc. VI - **Disciplina alessandrina:** Testi di diritto antichi riguardanti gli Etiopi, pp. 1-517. - L. 35.

Fasc. VII - **Disciplina armena:** Testi vari di diritto canonico armeno (Secoli IV-XVII), pp. 1-632. - L. 35.

Fasc. VIII - **Studi storici sulle fonti di Diritto canonico orientale**, pp. I-XVI; 1-711. - L. 70.

Fasc. IX - **Disciplina generale antica** (sec. II-IX), pp. I-XV; 1-619. - L. 35.

Fasc. X - **Disciplina bizantina** (Rumeni): Testi di diritto particolare dei Rumeni, pp. 1-879. - L. 60.

Fasc. XI - **Disciplina bizantina** (Ruteni): Testi di diritto particolare dei Ruteni, pp. I-XXVIII; 1-1141. - L. 75.

Fasc. XII - **Disciplina antiochena** (Maroniti): Testi di diritto particolare dei Maroniti, pp. I-XV; 1-1293. - L. 80.

Fasc. XV - **Discipline byzantine** (Melkites): Droit particulier des Melkites. - Première partie: Textes du droit approuvé, pp. I-V; 1-601. - L. 35.

## SERIE II

Fasc. I - **Textes législatifs touchant le cénobitisme égyptien**, pp. 1-95. - L. 15.

Fasc. III - **Patriarchatus constantinopolitani acta selecta.** I, pp. I-IX; 1-199. - L. 60.

Fasc. V - **Textus selecti ex operibus commentatorum byzantinorum iuris ecclesiastici**, pp. 1-237. - L. 40.

Fasc. VI - **De fontibus iuris ecclesiastici russorum** commentarius historico-canonicus, pp. 1-106. - L. 10.

Fasc. VII - **Textus selecti iuris ecclesiastici russorum**, pp. XII-390 - L. 100.

Fasc. VIII - **De fontibus iuris ecclesiastici syro-malankarensium** commentarius historico-canonicus, pp. 1-132. - L. 15.

Fasc. IX - **Fontes iuris canonici syro-malankarensium**, pp. 1-348. - L. 60.

Fasc. X - **De monachico statu iuxta disciplinam byzantinam** statuta selectis fontibus et commentariis instructa. Indices, pp. I-XXXIX; 1-523. - L. 225.

Fasc. XII - **Disciplina armena.** Monachismo. Studio storico-canonico e fonti canoniche, pp. I-XXXV; 1-247. - L. 60.

Fasc. XV - **Caldei. Diritto antico.** II. **"Ordo iudiciorum ecclesiasticorum"** collectus, dispositus, ordinatus et compositus a Mar 'Abdiso' Metropolita Nisibis et Armeniae, pp. 1-268. - L. 60.

Fasc. XVI - **Caldei. Diritto antico.** III. **"Liber Patrum"** pp. 1-41. - L. 10.

Fasc. XVII - **Caldei. Diritto nuovo.** Les actes du Synode Chaldéen célébré au Couvent de Rabban Hormizd près d'Alqoche du 7 au 21 juin 1853. Publiés et annotés par J. M. Vosté O. P., pp. 1-175. - L. 40.

Fasc. XXI - **Disciplina armena. Canones apostolici.** Testo armeno con versione italiana e apparato critico, pp. I-XIII; 1-122. - L. 50.

Fasc. XXVII - **Disciplina antiochena** (Siri): Textes concernant les Sacrements, pp. I-XV; 1-301. - L. 75.

Fasc. XXVIII - **Disciplina antiochena** (Siri): Lieux et temps sacrés - Culte divin - Magistère ecclésiastique - Bénéfices et biens temporels ecclésiastiques, pp. I-XX; 1-480 - L. 250.

Fasc. XXX - **Les textes juridiques dans les Pandectes de Nicon de la Montagne Noire**, pp. 1-93. - L. 40.

## SERIE III

Vol. I - **Acta Romanorum Pontificum.** A s. Clemente I (an. c. 90) ad Coelestinum III († 1198) — T. I - Introductio, textus actorum, additamentum, appendix, pp. I-LXIII; 1-945. - L. 550.

T. II - **Indices**, pp. 946-1255. - L. 150.

Vol. VI - **Excerpta ex Actis Synodorum Oecumenicarum**, pp. I-XX; 1-197. - L. 100.

---

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
*(Libreria Vaticana - Città del Vaticano - c/c postale N. 1-16722)*

**Recentissime pubblicazioni:**

# BIBLIA SACRA

Iuxta latinam vulgatam versionem ad codicum fidem iussu Pii PP. XII, cura et studio Monachorum abbatiae Pont. Sancti Hieronymi in Urbe Ordinis Sancti Benedicti edita.

— LIBER SAMUHELIS ex interpretatione Santi Hieronymi, cum praefatione et variis capitulorum seriebus. **Tomus V**. In-8° gr. . . . . L. 300.

Tomus I – Liber Genesis. . . . . L. 300.
Tomus II – Libri Exodi et Levitici. . . . . L. 300.
Tomus III – Libri Numerorum et Deuteronomii. . . . . L. 300.
Tomus IV – Libri Iosue, Iudicum, Ruth. . . . . L. 300.

**CODEX IURIS CANONICI, Pii X Pont. Maximi** iussu digestus, **Benedicti Papae XV** auctoritate promulgatus; praefatione, fontium annotatione et indice analytico-alphabetico ab Emo Petro Card. Gasparri auctus. In-12°, 1943, pagg. LII-928. . . L. 69.

— Legato in tela. . . . . L. 85.

GIOVANNI SMIT - **ROMA E L'ORIENTE CRISTIANO.** L'azione dei Papi per l'unità della Chiesa – Edizione limitata di esemplari - Vol. in-8° di pagg. 246 di testo stampate su carta pesante uso mano, con 53 illustrazioni di cui due a colori. L. 210

# ANNUARIO PONTIFICIO

**PER L'ANNO 1944**

Ritratto di S. S. Pio XII e stemma a colori, pp. 1263 - Legatura in tela, titolo in oro.

*La serie dei Romani Pontefici - La Gerarchia Cattolica: Pontefice regnante - Collegio dei Cardinali - Patriarcati - Arcivescovati e Vescovati residenziali - Arcivescovati e Vescovati titolari - Abbazie e Prelature* Nullius - *Amministrazioni Apostoliche* ad nutum Sanctae Sedis - *Prelati di rito orientale con giurisdizione ordinaria - Vicariati Apostolici - Prefetture Apostoliche - Missioni e Distretti* sui iuris - *Custodia di Terra Santa - Religiosi - La Curia Romana - Sacre Congregazioni - Tribunali - Uffici - Rappresentanze della Santa Sede - Corpo diplomatico presso la Santa Sede - Commissioni permanenti - La Cappella Pontificia - La Famiglia Pontificia - Elemosineria Apostolica - Uffici e amministrazioni Palatine - Ordini equestri - Stato della Città del Vaticano.*

Appendice: *Vicariato di Roma - Vicariato della Città del Vaticano - Istituti di studi superiori - Accademie Pontificie - Istituti Ecclesiastici di educazione e di istruzione - Seminari - Collegi ecclesiastici - Collegi di religiosi - Ospizi - Istituto per le Opere di Religione - Elenchi alfabetici degli appartenenti alla Cappella e alla Famiglia Pontificia - Elenco alfabetico degli Ordini, Congreg. e Istituti Religiosi Femminili di Diritto Pontificio - Dati statistici - Distribuzione geografica delle Sedi residenziali, Vicariati e Prefetture apostoliche, ecc. - Riti - Elenco alfabetico dei nomi* de Curia - *Elenco alfabetico dei nomi latini degli Ordini, Congr. ed Istituti Religiosi - Sigle dei Religiosi - Dignitari defunti - Indice alfabetico dei nomi delle persone - Indice delle materie - Indice schematico del volume.*

In Italia L. 100 Estero L. 106 franco di porto

| | Roma L. | Italia L. | Estero L. |
|---|---|---|---|
| **MISSAE DEFUNCTORUM EX MISSALI ROMANO DESUMPTAE. ACCEDIT RITUS ABSOLUTIONIS PRO DEFUNCTIS EX RITUALI ROMANO.** Editio quinta iuxta typicam. Typis Polyglottis Vaticanis MCMXLIII. In-4°. In fogli piegati e fasciati | 30 — | 30 — | 35 — |
| — Legato in tela, con croci in oro sui piani, segnacoli, ecc. . . . . | 60 — | 60 — | 68 — |
| **L'ATTIVITÀ DELLA SANTA SEDE** dal 15 dicembre 1940 al 15 dicembre 1941 (Non ufficiale). Tip. Poliglotta Vaticana, 1942. In-12°, pag. 93 | 5 — | 5,50 | 6,25 |
| — Dal 15 dic. 1941 al 15 dic. 1942 (Non ufficiale). In-8°, pag. 156 . . . | 12 — | 13 — | 14 — |
| — Dal 15 dic. 1942 al 15 dic. 1943 (Non ufficiale). In-8°, pag. 196 . . . | 25 — | 28 — | 30 — |

**Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis " Acta Apostolicae Sedis „**
***(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/o postale N. 1-16722)***